

Specimen medicum inaugurale, de morbis ex menstruis per aetatem cessantibus ... / exponit Johannes Ludovicus Regemann.

Contributors

Regemann, Johann Ludwig.
Vitriarius, Johann Jakob, 1679-1745.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Conradum Wishoff, 1737.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zddmbtvz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,
D E
MORBIS EX MENSTRUIS
PER ÆTATEM CESSANTIBUS.

AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOH. JACOBI VITRIARII,

J. U. D. ET JURIS PUBLICI AC PRIVATI PROFESSORIS
ORDINARIJ.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Solemni & publicè examini exponit

JOHANNES LUDOVICUS REGEMANN,

Bremenfis.

Ad diem 17. Septembris 1737. Horis à 9 ad 11.

loco solito.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF. 1737.

SPECIMEN MEDICUM IN ALCUR ALLE

MORBUS EX MENTIBUS

PER ATATUM CESSANTIBUS

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

D. JOH. JACOBI VITARIARI

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

PER AUSTRIAM DEO OPTIMO MAXIMO

HERMANNO BOERHAVE.

PROMOTORI GRATISSIMO



N! summe Virorum, charta-
ceum TIBI offero munusculum: non
ut cogitem, multa & maxima, qui-
bus TIBI obstrictum, obligatum-
que, me sentio, exsolvere nomina.
Plurimum absum ab eo. Sceleratum
potius ingrati animi stigma, hoc pa-
cto, declinare studeo.

Ne

. Ne vero crimini des mihi, quod
falsa TIBI litem mola, supplicibus
oro verbis; thura non habere doleo.

Optimam quamvis, de Spectata TUA,
spem concepi, Humanitate, fore, ut
ne, cujus felicitatum curam, ultro Ipse,
tam generoso, in TE suscepisti, per-
fecisti, animo, patrocinio Tuo deferas.
Fac modo, vicissim experiaris, qua in-
violata fide, qua reverentia, sim, dum-
que ero, constanter fuero

Dabam Leidæ
Ipsis Idibus Septembribus
MDCCXXVII.

Clientis Tuus addictissimus
JOHANNES LUDOVICUS
REGEMANN.



SPECIMEN MEDICUM

INAUGURALE,

D E

MORBIS EX MENSTRUIS

PER ÆTATEM CESSANTIBUS.

§. I.



Anguinis per genitalia, quæ virginibus & foeminis, justæ ætatis, bene valentibus, singulis plerumque, nisi gravidæ hæ sint, aut lactent mensibus, accidit excretio, Menstrua vocant Medici, Fluxum Menstruum, Menses &c.

§. 2. Justam quam diximus ætatem §. 1, vitæ spatium, quod

A 3

puber-

pubertatem inter, & senectutem decurrit, constituere; experientia iisdem innotuit.

§. 3. Utrisque in accelerandis, vel retardandis, multas efficiunt varietates, temperatura & habitus corporis, animi studia, educatio, vitæ genus, morbi, nec non regionum quam maxime diversitas; hinc liquet, nec ætatem illam §. 1, certis præcise annis, sed latitudine tantum quadam, esse determinandam.

§. 4. Nostris sic §. 3, anni ut plurimum, eam §. 1. 2. absolunt, a sexto & decimo ad quinquagesimum.

§. 5. Hæc dum vivitur ætas §. 4. & viget conditio §. 1, quæ sanitatem faciunt muliercularum, non solum cuncta fere, a rite ipsis solutis pendent menstruis; sed morbi quoque, quibus supervenerint, iisdem judicantur quam plurimi.

§. 6. Quodsi vero ita natura comparatum sit, ut quibus ex rebus, summa ad nos dimanat utilitas, ex iisdem, vitio quodam interveniente, nascatur extrema perniciēs; quid mirum, non multis ac variis, immo innumeris, & atrocibus satis, amabile obnoxium genus esse morbis? fluxus hic §. 1. 5. vitium si contrahit, aut emanet, aut supprimitur, aut rarius, aut parcius, aut ultra vires procedit? plena eorum sunt castissimorum naturæ observatorum scripta, quæ adeunda sis.

§. 7. Graviora tamen nisi his, non leviora certe, quam sæpiissime ipsum, in juvenculis primo erumpere conantem, & cessantem denique in annosioribus, comitantur symptomata.

§. 8. Omni cogitatione, curaque, reliquis sepositis, ad id maxime incumbere, in præsentem est animus, ut quæ, ætatis lege subsistentem penitus illum, aut antevertere, aut subsequi solent pathemata, breviter exponam, & absolute, quam possum, complectar.

§. 9. Fieri autem cum nequeat, ut certi aliquid de re quadam prædicemus, nisi illa demum ipsa, nobis penitus perspecta, seu quod idem est, per causas sit cognita; hinc ante disspiciendum nobis erit, certam omnimode, & eruptionis menstruorum §. 1, & abolitionis §. 8, reddamus rationem, ad
expli-

explicanda quam accedamus phaenomena.

§. 10. Sed ut in aliis saepe numero rebus, sensus quemque suus, & ratio sua quemque ducit: ita & in menstruorum, in primis solutionis, constituenda causa, Medici in diversa dilapsi sunt celeberrimi. Hi sanguinis qualitatem, quantitatem illi, utramque isti accusant; lunam alii, alii fermentum, universale, particulare, sales, &, nescio quas insuper, qualitates, in subsidium vocant, occultas.

§. 11. Precarias authorum percutere, & enervare opiniones, instituti nostri §. 8. haud fert ratio; nec precium foret, operam in his collocasse, veritate quippe stabilita, errores sua evanescent sponte; hanc in aprico ponamus, erimus solliciti.

§. 12. Quo vero faciliore id expediamus negotio, ab ætatis potissimum consideratione, quæ, antiquissimis artis nostræ Magistris id docentibus, maximam ad causarum inventionem suggerit facultatem, oratio nostra ordienda.

§. 13. Pubertas est, sub cujus auspiciis, virgini menstrua fieri diximus §. 2; transiit circa illam corpus, ex laxiori in elasticum magis & robustum, ita ut solida, fluidorum magis renitentur actioni, & resistent, nec valeant hæc, ut ante, canales suos in longum producere; hinc nec corpus amplius in tantum excrescit, sed incrementi sui terminum fere est adeptum.

§. 14. Omnia autem hæc, non impediunt, quin eadem semper ac olim, chyli & sanguinis, conficiatur quantitas, immo juvant magis: robur enim accessit simul, vasis & visceribus, quæ alimenta in chylum, huncque in bonum sanguinem vertunt.

§. 15. Vitæ ergo hunc quando contigerunt terminum §. 13, evacuationes nisi augeantur, residua certe erit portio quædam liquidi, quæ neque in corporis nutrimentum, aut incrementum, neque ad amissi, per vim vitæ & sanitatem, jacturam refarciendam, impendi poterit. Hæc in carnes vel pinguedinem absumatur, aut intra vasa coacervetur necesse est.

§. 16.

§. 16. Hæc in maribus æque ac in foeminis evenient; & nisi his forte magis propria fuerint ob vasorum laxitatem, cutis stricturam, hincque pendentem remissiorem caloris gradum, perspirationem minorem, pondus tamen quolibet etiam in illis mense augescere, & facta demum critica quadam evacuatione, ad pristinum statum redire, Statica nos docet.

§. 17. Tantum autem abest, ut evacuationes augeantur §. 15, ut reliquas, simul sumtas, immense quantum superans, Santoriana puta perspiratio, minuatur potius, & extenuetur.

§. 18. Carne ergo & toris luxuriabit corpus, aut pinguescet? hæc quibus fiunt, menstruis nisi plane immunes esse, parcius saltem purgari traditum est; illas itaque non morabimur, utpote ad scopum nostrum minus facientes, inquisituri potius, quid mutationes vitæ inevitabiles, in iis producere queant, & debeant, quibus denique in vasis redundabit cruor, §. 15.

§. 19. Illis scilicet, cum nec uterum ferunt, nec ubere foetum alunt, cui & supra §. 1. cautum est, tument vasa, in primis venosa, utpote facilius distensibilia, cor urgetur, violenter distenditur, acceleratur ipsius contractio, intenduntur vires, validius & velocius propellitur sanguis, rarefit; magis expanduntur, distenduntur vasa, per consequentiam, dimetientem naturali acquirunt majorem; cum vero aliquod maximum detur in violenta vasorum dimetiente, quod si tenent rupturæ sint proxima, hoc sensim sensimque attingunt.

§. 20. Oriuntur hinc §. 19. varii in corpore effectus: Torpor, lassitudo, tarditas, gravitas, appetitus prostratus, nausea, raro vomitus, languor, anxietas ad præcordia, respiratio parva, difficilis, anhelosa, palpitatio cordis, pulsatio arteriarum, calor auctus, capitis dolor, livor circa oculos, obvolutatio scintillarum, vertigines corpore vel leviter incurvato, prono.

§. 21. Hæc jam hucusque §. 19. provecta, si violentiæ adhuc dum increscant causæ, sanguinis duntaxat quantitas & velocitas, vel alterutra harum, singulæ quippe eundem effectum producere sufficiunt, non potest non quin vas rumpatur, vel alio quocunque modo sanguis exitus viam sibi quærat.

§. 22.

§. 22. Aortæ autem descendentis spatiosior capacitas, uteri situs, & structura porosa, ponderosæ satis suppetunt rationes, in vasis cur accumulatus sanguis §. 18. 19. ad uterum potissimum ruat & rapiatur.

§. 23. Quod ad vasa quæ ad uterum & vaginam decurrunt? sunt illa, ex spermaticis, hypo- & epi-gastricis, hæmorrhoidalibus. Notandum vero: nullas in venis dari valvulas, nec defectum hunc aliunde suppleri; omnia denique vasa, & arterias, & venas, tortuoso vermiculari reptatu, non solum miris & mutuis inter se concursibus, inosculationibus, communicare, & in plexus uniri reticulares; sed innumeros quoque laterales, arterias emittere, ramulos, osculis suis in uteri cavum & vaginam hiantes, ibique assidue tenuem, lymphaticum pluentes rorem.

§. 24. Huc igitur copia delatus §. 22, & impetu pulsus, sanguis, per dictos §. 23. projectus canales, oppositis quandoque, ut facile apparet, actus in se nixibus, venis insuper, cum ipsæ semel receptum non tam facile propellere valeant sanguinem, omni ope destitutæ §. 23, appellenti de novo, transitum quasi negantibus, velocitate fracta, & compressa fere, aliqualem necit moram.

§. 25. Dato ergo tempore, plus sanguinis adfertur ad uterum, quam ab ipso iterum deferretur; hinc accumulatur in vasis, hæc replet, diducit, explicat, distendit; laterales §. 23. una necessario diducuntur, ampliantur pori; alieno infarciuntur humore, crassiori nempe consueto; rubrum sensim admittunt sanguinem; hic circulantis continue iteratis impulsu, percussionibus, pressus, superatis impedimentis perrumpit; pressione hac, motu, calore, ulterius dilatantur pori; totus tandem floridus, guttatim, non pleno, nec continuo rivo effluit sanguis; delabitur è finu pudoris; fiunt menstrua, & durant, moles quam diu sanguinis, apertos detinere valet canales.

§. 26. Ex dictis §. 23. 24. 25. intelligitur, quare tensiones, dolores, & æstus, ad dorsi spinam, lumbos, coxas,

B

&

& reliqua utero vicina, pruritus genitalium, eorumque liberior humectatio, excretio humeris albi, viscidiusculi, mox sanguinolenti, qualis est lotura carniū, sæpius nominatum præcedere soleant fluxum? Nec minus ratio datur, quare menstruo fluxu imminente, tumida & crassa, uteri, Anatomicis apparuerit, substantia? Denique cur mammae repleantur, intumescant, adsurgant, fororientur, dolcant?

§. 27. Imminuta autem vi illa distrahente §. 25, & nisu §. 22, sensim paululum subsidunt vasa, & vi sua, qua pol-
lent elastica, iterum se contrahunt. Idem lateralibus §. 25. jam conceditur poris. Hinc sanguinem fundunt minori copia; mox humidum dimittunt sanguinolentum ut antea §. 26; magis se constringunt; albidus, mucosus quasi effluit liquor; ad pristinum denique, naturalem §. 23, redeunt statum, antiquum exsequuntur munus, donec sanguinis iterum adeo increverit moles, ut priora, per illam inducantur, symptomata, licet quodammodo leviora, utpote semel passa.

§. 28. Ocyus, tardius quidem hoc §. 27 fiet, pro diversitate temperiei & usus non naturalium; ordinaria tamen periodus est menstrua §. 1. Stata autem semel, in individuīs, cum victus consuetudo ut plurimum sit eadem, vix mutabitur, nisi mutatione forte inducta, a causis extraneis, aut incrustatis tandem vasis per vim vitæ & crebram violentæ expansionis reiterationem.

§. 29. Quantitas non minus incerta est, nec nisi ex viribus æstimanda. Debita hinc erit, quæ corpus levat, non quæ debilitat. Minus autem humorum in corporis cum sensim cedat nutrimentum, moderate illa, a primis §. 13. increfcit temporibus, ad stabilem usque ætatem, dein eadem fere manet.

§. 30. Sed non fert connata corpori corruptelæ interitusque necessitas, ut diu eodem queat persistere statu. Fortiora in dies redduntur solida; incipiunt tandem rigescere. Major enim per motum vitalem, quotidie fit compactio fibrarum, & vasa quæ pluribus olim minoribus constabant vasis, violenten-

tenta

tenta toties, & sic compressis, adunatis, & coalitis his, nunc tot fibris constant fortibus. Hinc expandi se, difficulter patiuntur; conantur potius arctare sua cava; validius reagunt in cor, & projecta ex ipso fluida.

§. 31. Ut queat igitur sanguis, aucta hæc §. 30, vincere, superare obstacula, more dein erumpere consueto §. 25, oportet, solito plus augeatur ipsius quantitas, velocitas, vel utraque §. 21.

§. 32. Velocitas, §. 31, per solam tandem vim vitæ, amplius vix excitabitur, quippe quæ, per validam, quæ cordi fit, resistantiam §. 30, insigniter frangitur; hinc a quantitate tunc magis aucta, notabilis ille expectari debet effectus; qui obtinebitur quam facillime, cum ipsa illa incipiens rigiditas, & abolitio vasorum §. 30, plethoricam corporis augeat dispositionem. Nec vero semper plenitudo ita increfcit: & chylicatio aliquando, ob memoratam §. 30, haud ita large procedit, rationem.

§. 33. Menstruationis hinc præcipitatur subinde periodus §. 28; protrahitur quoque, & debita denique §. 32, per duos, tres, quatuor, immo tot quandoque menses, mulieribus haud solvuntur menstrua, ut immunes ipsis in posterum futuras credideris.

§. 34. Calamitatibus jam §. 33, & miseriis aperitur porta, & mulierculæ, in primis quæ copiosa olim menstrua passæ, aut foecundæ matres fuerunt, aut otio & gulæ deditæ vivunt, aut animus quibus ad magnas perturbationes est commotior, agitari iis, & fortiter premi incipiunt; exceptis forte solis vergente quibus sic ætate §. 30, natura laudatis §. 15. modis subvenit, opitulatur, aut quæ cum ætate, vivendi simul mutant methodum, accommodant.

§. 35. Priora nimirum §. 20, cum reliquis, quibus ipsis lapsa forte conflictandum fuit ætate, non solum ingravescent symptomata, sed novum adhuc malorum hæc subsequitur agmen. Singulatim omnibus enarrandis jam supersedeo, cum idonea infra mihi dabitur opportunitas, de plurimis eorum,

cum cæteris utpote mox dicendis communibus, pauca commen-
tandi. Præcipua saltem lustraturus cœptam semel §. 33.
pertexo orationem.

§. 36. Latam §. 32, multo quidem temporis dispendio
§. 33. refarciunt jacturam; eo tamen sanguinis tandem assur-
git, intenditur momentum, ut vasorum §. 31. possit elude-
re, remove impedimenta. Tanto tum quandoque prorumpit
impetu, sæpe copia tanta, ut rupturam adeo majoris cu-
jusdam mentiatur vasis, & vix, effrenus diu ruens, compe-
sci queat.

§. 37. Calidiores potius, sanguineæ, cholericæ, & quæ
paulo largius, præcedentibus purgatæ fuerunt temporibus,
sævis his §. 36. sanguinis obnoxia deprehenduntur exunda-
tionibus; maxime tamen oriuntur, post repentinos, insignes
terrores, aut acri alia & vehementi quadam incitatione, in-
flammati, incensis a causa externa, mulierculis.

§. 38. Languescente scilicet sanguinis §. 32, excitato per
se §. 36, per accidens §. 37, momento, & referatis, præce-
dentem §. 25. in modum, solam forte exceperis ferociam,
ostiis, vix aliter fieri potest, quin notabilis ipsius fiat pro-
fusio; reliqua enim stricta §. 30, irritata §. 37. vasa, ad de-
bilitata semel hæc, liquida sua impetu premunt loca, expri-
munt fere. Persistit dein hæmorrhagiæ a spasmis habitum con-
secutis, vel impediante rigiditate, quo minus canales se resti-
tuant, claudant.

§. 39. Ne vero copiosas illas §. 36, sanguinis rejectiones,
dicta §. 38. solum quis putet ratione provenire. Ab acrimonia
aliquando humorum, natales quoque suos mutu-
antur.

§. 40. Præter enim quod haud æquabilis procedat circulatio
§. 30, immo liquida in minimis utcunque incipiant hære-
re, stagnare vasculis; præterea coctiones ob incipientem vasorum
& viscerum rigiditatem, quam facillime turbantur, ingesta
minus bene subiguntur, cruda potius, lenta, viscida, san-
guini,

guini, reliquis humoribus miscentur, & sic inepti magis hi redduntur ad fluendum; quo fit ut quoquo modo sibi relictī §. 24, pressi, in se invicem agendo, suam sequantur naturam, acres fiant, petulci, rodentes, plus minus, pro ratione pressionis diversa.

§. 41. Aptā sic §. 40. redduntur, quæ urgente vitali motu possint, vasa destruere, dissolvere, aperire, liquida.

§. 42. Hanc facultatem §. 41. quando exerunt, sanguis statim ab initio haud confertus, nec copiosus, sed parvus tantum exit, temporis vero progressu, majori funditur copia, & denique horribilis oritur hæmorrhagia. Sanguis insuper calidissimus fertur; & delabens adeo, notabilem ardoris, subinde obscuri doloris, inducit sensum. Quandoque cernitur floridus, serosus nonnunquam, grumofus quoque. Aliquando foetidus defluit, genitalia & reliquas partes rodens, exulcerans. Ex his Diagnofis habetur.

§. 43. Præfagia, harum hæmorrhagiarum in genere, non sunt optima; immo desperatissima, & sæpe sæpius animam cum sanguine dimittunt miseræ. Meliora tamen speranda sunt, ubi hæmorrhagia causis §. 38. debetur, quam si ultima §. 39. obtigerit. Illa enim quandoque curam admittit; hæc ob acrimoniam suam §. 40, continenter vasorum ora, latera, stimulantem, vellicantem, rodentem, sicque consolidationem eorum prohibentem, inhibentem, fere nunquam domanda.

§. 44. Medela autem, si quæ locum habet, perficitur: sedatis animi fluctibus, remotisque cunctis commotionum fomitibus; situ corporis accommodato, quieto; aëre temperato; sanguine, ponderatis bene circumstantiis, incisa vena, largius subtracto; affixis sub mammis cucurbitis; immixtis vino calido, vel aquæ calidæ, brachiis cum manibus; arctiori artuum deligatione, supra cubitos, genua; appositis ex aqua frigida, aceto, aut utrisque remixtis, spongiis vel spleniis, ad pubis, lumborum regionem; exhibitis absorbentibus, nitrosis, anodynis, opiatis; alvo denique, si segnis vel ob-

structa fuerit, leni clysmate sollicitata, soluta.

§. 45. Victus interim sit tenuis; assumatur parum & sæpius.

§. 46. Sic §. 44. 45. quandoque evadit mulier. Rarissime quoque enormis ille fluxus, prioris casus §. 36, citra ullam medicationem sibi relictus, cum bono regimine, sponte cessat sua. Fit autem hoc, spasmis pacatis, quando sanguine majora exhausta fere vasa, laterales §. 23, non amplius urgent ramulos, ubi latera eorum, defectu liquidi affluentis, collabentia, subsidunt, stringuntur, conglutinantur, coalescunt.

§. 47. Ab hæmorrhagiis his §. 38. 39. haud raro, in perpetuum corporis languorem, cacochymiam, fœdum faciei colorem, cachexiam, febres lentas, tabes, leucophlegmatiam, hydropes, morbos œdematosos &c. incurrunt mulieres, nisi exquisita diæta, & sedula cura, mala hæc avertantur, & vires analeptici, corroborantibus refocillantur; quamvis & hæc sæpe numero Medicum destituant.

§. 48. Omnia tamen §. 47. licet effugerint, ne sint securæ nimis sed curam gerant providæ, ut ne formidabilis uteri, quod fieri solet, hæmorrhagia recrudescat, exasperetur. Poterit autem præcaveri, corpore motu exercitato, & sanguine, quoties usus poscit, ex vena missio; juncto forte quibus, si dyscrasia humorum urgeat, leni cathartico, aut alio corrigente.

§. 49. Hæc §. 36 ad 48. de uteri hæmorrhagiis. Videamus ulterius, quid frigidioribus insuper, & phlegmaticis, ex impeditiori mensium successu §. 33. mali præ cæteris portendat.

§. 50. Docet corporis historia sani, in laudatæ §. 49. temperiei corporibus, vasa sanguinea angusta magis, lateralia vero latiora existere; cæteris igitur paribus, specialem ipsis inesse propensionem ad uberiores feri secretionem, nemo facile inficias ire poterit, illas proportionatas semper fieri, qui perpendit, velocitati liquidi moti & vasis secretorii orificio.

§. 51.

§. 51. Constat autem : sanguinem vi situs uteri, nec non structuræ ipsius & arteriæ aortæ, ad uterum potissimum ruerre §. 22, inibi aliqualem nectere moram §. 24; dari denique ramulos arteriarum uteri & vaginæ laterales, quorum sit, limpidum fecernere & in hæc loca depluere liquidum §. 23; ergo nec quis negabit idem §. 50. & hic valere, immo potiori jure.

§. 52. Nec mirum hinc, præ reliquis, illas §. 49. esse succulentas, serosas magis, & humidiores habere uteros, cum natura earum §. 50. §. 51. id involvat. Longe tamen alia res est, quantitas excreti humoris, si excedat nimium : hoc enim labefactis, ampliatis, aut morbose affectis, vasculis illis fit secretoriis §. 23, & manifesto, notabili exitu è locis se exerit; Medicis affectio hæc, Fluoris albi, uterini, muliebris &c. nomine venire consuevit.

§. 53. Data occasione, omni a pubertate tempore, quandoque hoc corripiuntur vitio miseræ; maxime interim familiare, & fere commune est fœminis §. 49, facta mutatione §. 33, licet & reliquis §. 37, sub eadem hac conditione.

§. 54. Sanguinis quippe aucta quantitate, consequenter & decubitu ad uterum §. 22, consuetum ille affectat exitum §. 25. & lateralium §. 23. ora urget meatuum; hæc arctiora facta, cum vasa incipiant rigescere §. 30, fortiter ipsius, diu sustinent impetus & pressus, insistenti tamen cedere sensim coguntur; relaxantur ergo, naturali majorem, recipiunt, transmittunt ferosi liquidi copiam; oritur sic fluor albus §. 52, prosequitur, donec forte, post longissimas moras, vasa ulteriori sui se accommodaverint dilatationi, & menstrua solvantur. Quodsi jam serum potius abundet §. 50. §. 51, procuratorio sæpe pergit ille partes ipsorum complere munere; postea subsistit quandoque, & nisi per intervalla repetit; haud raro in consuetudinem abit; immo in dies ingravescit; comitem fere individuum habens, gravitatem & cruciatus lumbares.

§. 55. Aliquando etiam immoderatis succedit mensibus, cum nempe

nempe ceu postliminio revertentes §. 33, multi & affatim funduntur §. 36, unde supra modum dilatati sæpe canales, insigniter adeo debilitantur, ut robur amittant fere omne, nec valeant arcte satis se iterum constringere, sed passis quasi portis exitum ipsi largiantur. Unde neque inducias fert malum, sed continuo sæpe misellas infestat tramite.

§. 56. Quæ vero excernitur colluvies §. 54. 55, modo aquosa, limpida, tenuis prodit, modo crassior, mucosa, viscida, glutinosa; colore ut plurimum conspicitur albo, livido, cinereo; odore sæpe expers omni, fædo interdum corrupta; interim est lenis, acris interim & mordax.

§. 57. Inde Diagnofis patet; quin & prognofis facile ex his deducitur: esse nempe affectum gravem satis & periculo plenum, sæpe non nisi longo præfidiorum usu curabilem, sæpissime & optima quævis eludentem.

§. 58. Curaturo autem tres sunt indicationes:

1. Humores corrigere, & lenitatem ipsis conciliare, si acres.
2. Affluxum eorum, versus hæc loca, minuere, impedire, avertere.
3. Uteri & vasorum dejectas roborare vires, & restituere.

§. 59. Humores corrigimus, ipsisque conciliamus lenitatem:

1. Succurrendo imbecillitati primæ digestionis & coctionis officinæ; hinc blandioribus evacuantibus eliminando per vomitum aut alvum, quæ ipsi inhæret sordes, & confortando dein stomachum, balsamicis amaris, vel chalybeatibus.
2. Reducendo totam massam ad majorem inertiam, per ea, quæ singulari dote, acri specifico opposita.

§. 60. Affluxus humorum minuitur, impeditur, avertitur:

1. Minuendo copiam, missione sanguinis, vena incisa, vel scarificatione.
2. Aliorsum derivando eosdem, per laxantia, lenitiva, diuretica, & diaphoretica, quorsum referenda balnea laconica, frictiones, & motus corporis, ad primum initium levissimi sudoris.

§. 61.

§. 61. Uteri & vasorum dejectæ vires restituuntur, roborantur: injectionibus & balneis ex roborantibus, aromaticis, balsamicis, nervinis; inguinibus imposito sacculo ex iisdem in vino rubro decoctis; vaporando muliebria incensis sufficientis, ex gummatibus, vel aliis uterinis.

§. 62. Dum hæc ita aguntur §. 59. 60. 61. non naturalium usus, medicamentis accommodetur; hinc aër inhabitetur ficcus, ad calidum inclinans; victus sit exsicicans magis quam humectans; vitentur in primis, fumo vel sale indurata, acria, nimis pingua, & id genus alia; cæterum vita sit exercitata, somnus brevior.

§. 63. Enimvero, ubi per easdem causas §. 30. aut effectus §. 46. aut adhibitam denique curam §. 44. minora tandem uteri & vaginæ §. 23. ita compacta, incrustata, conglutinata, concreta & coalita sunt vasa, ut sanguinis nixibus §. 24. 25. nullo modo amplius auscultent, sed cedere nescia, fortissime omnem vim ipsius repellant; præcluduntur tum quidem menstrua, minime autem mala §. 34. 35, quæ potius superimminent proximius. Nimius quippe qui olim, exitum sibi per uterum expediebat §. 25. sanguis, nunc ad vasa & viscera vicina, remota, regurgitare cogitur, ubi minorem resistantiam invenit; unde diversæ, ut plurimum lugubres, inducuntur scenæ, quas brevi indicabo.

§. 64. Ab hæmorrhagiis ergo, menstruorum muneri vicariis succedentibus, auspicaturus, quæ ex vicinia oritur, primam lustrabo. Illam intelligo, quæ per vasa fit hæmorrhoidalia interna, in cavum intestini recti, & ex hoc foras per anum: Medicis Fluxus titulatur hæmorrhoidalis, vel hæmorrhoidum, internus, aut simpliciter Hæmorrhoides internæ.

§. 65. Constat fida anatomicorum observatione: uteri vasa §. 23. cum laudatis §. 64. arctissime inter se communicare vasis; non potest ergo non quin, denegato per illa itinere §. 63. crescente hinc impetu, adhæc copiose appellatur sanguis, nisi forsan & ipsa, incrustata nimis, renitantur, & uberiori illi aditum intercludant.

C

§. 66.

§. 66. Quodsi his jam debilioribus, admissus fuerit, colligitur sensim, & accumulatur in venis hæmorrhoidalibus, utpote a vena portarum oriundis, hinc omni valvularum subsidio orbis, & perpendiculariter adhuc adscendentibus; hinc maxima oritur allabenti sanguini resistentia, unde ad laterales arteriarum uberius cogitur productiones; quæ in succosas abeuntes extremitates, recto quidem tramite, sine notabili flexura decurrunt, glandulas constituentes intestinales, spurias dictas, humectandæ, & lubricandæ intestinorum cavitati dicatas, hinc libere in illam patentes; hac ipsa via, vasa se exonerant, eadem fere ratione ac supra §. 25, exceperis, quod fluxus hic raro modum fervet.

§. 67. Quandoque etiam fieri poterit, ut cum omnis venosi sanguinis gravitas §. 66. redundet in punctum in quo vena incipit, nec minus appellentis, ibi maxime, sit pressionis centrum, ut inquam, ibidem ictu sanguis perrumpat, profusus exiturus.

§. 68. Denique a tenuitate hinc inde cedente membrarum vasa constituentium §. 64, oriri possunt tumores aneurismatici, varicosi, quos si sanguis, impetu suo vel mole perfrerit, aut acredine concepta eroserit, eundem dabit effectum §. 66. 67. immo ferociorem.

§. 69. Nec parum interim confert his §. 66. 67. 68. & subest causæ, si, quod per sua signa patet, magna illa abdominis, hepar puta & lien, sanguine infarcta, conferta, aut quovis modo obstructa, vel indurata sint viscera; unde redituro, per portarum venam, summum ponitur obstaculum, & cumulatio ipsius inevitabilis sequitur.

§. 70. Proritur quoque hæmorrhoidum fluxus quam sæpiissime, a Medicis an a medicastis, multo aloëticorum, non indulgentibus modo usui, sed suadentibus adeo illum, ut nimirum, menses deficientes jam §. 33. 63. revocentur; aut ut appetitus, qui per ipsam forte plethoram, hoc tempore, prostratus languet, resuscitetur, acuatur; aut malis §. 69. ut succurratur. Reliquas, brevitati studens, taceo occasiones.

§. 71.

§. 71. Manifeste satis signatæ sunt hæmorrhoides §. 64, ut plura addere velle supervacuum foret signa; in primis cum pathognomica alia non dentur; venditent qui velint vultum subviridem pro tali.

§. 72. Prognosis firmatur ex consideratione causæ concurrentis, atrocitatis, durationis & effectus fluxionis.

§. 73. Therapia partim jam tradita est §. 44, ex abundanti adhuc omnium generalem postea, ut carmen tumulo, superaddam.

§. 74. Jam ad Mictum procédo cruentum, illam duntaxat affectionem, ubi sua sponte, sine dolore, sanguis copia mingitur. Accidit potius illis, vino & opiparis, quæ delectantur, obsoniis, corpus interim motu exercent concitatori.

§. 75. Provenit ex eo, quod occlusis uteri vasis §. 63. sanguis sursum fertur, & minus resistentibus renalibus arteriis, ad ipsas fere detruditur, unde cum venæ non valeant, tantam, tam subito, sanguinis recipere, revehere copiam, arteriæ mox opplentur, distenduntur & sanguinis tandem quantitate, fistulæ illæ minimæ arteriarum, laterales, uriniferæ, ab inventore Bellinianos vocant ductus, aperiuntur, relaxantur. Transit sic sanguis, iter prosequens per papillas, seu fasciculos tubulorum renalium, in cavitatem pelvis, hinc per ureteres in vesicam, unde mictu eliminatur, sine vel cum urina.

§. 76. Mictus sanguinei §. 75. ex dictis §. 74. clara & distincta constat diagnosi; prognosis fere convenit cum illa §. 72. addideris, multo esse periculosiorem.

§. 77. Superius non minus per os, mediante ventriculo, è gastricis quam sæpissime, aliquando è brevibus vasis, corpus prægravans, rejicitur sanguis: morbum, Vomitus dicunt cruentum.

§. 78. Ex arteria nempe coeliaca, gastricæ omnes ad unam oriundæ arteriæ, interiora ventriculi subeuntes, varias distribuunt ramificationes, quarum extremitates, oris in cavum ventriculi terminantur patulis; hinc facile est intellectu, auctis

mole & impetu ruentis ad ventriculum sanguinis, dilatatis & tensis majoribus vasis, sub conditione §. 63. non meliora de reliquis esse speranda, in primis cum sociorum §. 25. 66. 75. in pulvere videamus vestigia.

§. 79. Brevia vero sic dicta vasa §. 77, sunt gastricarum venarum productiones, quibus ad lienem tendentibus, medio fere itinere, obviam facti furculi splenici, illas excipiunt, inque unum cum ipsis abeunt truncum; hoc apparatu, sanguinem a ventriculo reducem, in venam deponentes splenicam, ulterius ad portas vehendum. Illo autem quomodocunque intercepto transitu, hinc reliquis impeditis viis, quis non videt, memoratas, a tergo sic tandem sanguine obrui debere, venas, ut valvulæ, positæ in hiatu citatorum vasorum in splenicarum, allabentem illum nec excipere amplius, nec reprimere decumbentem queant? Formant ergo nodos, varicum nomine insignes, rumpunt denique vincula, & sanguine inundant ventriculum; irritatur hinc ille, motum invertit, convellitur, fit vomitus sanguinis effrenus.

§. 80. Subiectiores ipsi sunt, diutini, quarum animos, exedunt mœrores, conficiuntque curæ; aromata aut allia quæ nimis in deliciis habent; vel quæ duriori victu ad implenda naturæ desideria defunguntur, & vitam agunt desidiosam, fœdenteriam.

§. 81. Circa Diagnosin non habeo quæ addam; nec alia est Prognosis, quam quæ mihi cruenti §. 76.

§. 82. Non raro etiam uteris obturatis §. 63, sanguis cogitur ad pectus, ubi exitus sibi viam per pulmones facit, & tussiendo, sincerus, multus, floridus, spumans ejicitur; Hæmoptoe audit Medicis affectio.

§. 83. Regurgitans quippe ad cor, majori impetu, in laxatum cordis dextri irruit ventriculum sanguis, indeque propellitur in arteriam pulmonalem, ex cujus innumeris ramificationibus, in rete subtilissimum confusis, totamque vesicularum non solum mirabiliter occupantibus aream, verum ad parietes quoque extensis, per infinitas plane anastomoses, ad venas e-

jus-

jusdem nominis, auriculam sinistram, in cor demum sinistrum, transire debet; unde tantam sanguinis copiam excipiendo, reddendo, cum non respondeant illæ, immo si responderent, cor præterea sinistrum, ob auctam sibi a vasis resistantiam §. 30. 63, projiciendo rite & expellendo, ob impetum vero venosi ad cor dextrum pressi sanguinis validiorem, admittendo adeo, impar foret, liber in pulmonibus turbatur, impeditior fit circuitus, sanguis redundat, congregatur sensim in vasis pulmonalibus, in primis in arteriis, progressu temporis penitus infarciuntur vasa, & nisi forte sanguini aditus concedatur ad ultimas illas meatuum arteriosorum propagines, in bronchia & vesiculas hiantes, hæque ictus gravitate & celeritate recludantur, facile rumpere potis erit vasa, cum omnia levissimis tantum constent membranis; aut etiam si acrior fuerit, in scorbuticis, hoc modo solvet illa. Extravasato autem, sive per novam id factum sit viam, sive per naturalem ampliatam, intra pulmones sanguine, molestissime ex eo habent ipsi, prægravantur, stimulantur, lacerantur, donec vehementi impetu per secretum, aut violento concussu ex tussi, se liberaverint, & sarcinam foras rejecerint.

§. 84. Foeminae teneriores & graciliores, magis huic malo sunt expositæ; præ cæteris, quæ palpitationibus cordis, aut pulmonum labe quacunque correptæ excruciantur, aut olim ipsis implicitæ vixerunt.

§. 85. Ex his denuo diagnosi, nullo plane negotio, est haurienda. Eventus vero præfagia desumuntur ex superius memoratis §. 72, expensis simul, delicatula partis affectæ structura, & summo ipsius usu.

§. 86. Denique e naribus, licet rarissime, abolita menstrua §. 63, suppleri accidit, rapto versus caput sanguine, & turgentibus, ex coërcita ipsius copia, ruptis vasis, pituitariam Schneideri, undique & copiosissime distinguuntibus, membranam; aut dilatatis & expeditis ipsorum ramulis, qui narium secretando mucos inservientes, tenues formant penicillos, sicque intra nares, extremitatibus suis dehiscunt. Sanguinis hanc fluxionem,

xionem, Hæmorrhagiam nuncupant per excellentiam, vel narium quoque nomen adjiciunt.

§. 87. In Diagnosi hujus §. 86. ut fallamur fieri nequit; nec prognosis multam operam facesset, attendenti, ad ea quæ diximus §. 72.

§. 88. Methodus generalis medendi largioribus illis hæmorrhagiis §. 64. 74. 76. 82. 86. exigit ut adspiremus ad frequentia:

1. Æstuantis impetum, ferociamque sanguinis, comprimere, copia subducta, & justo interno usu frigidorum vel actu, vel potentia: ut sunt aqua frigida, acida, nitrosa.
2. Circulationem invitare, allicere ad peripheriam, laxantibus, diaphoreticis, balneis, fomentis, fricationibus, epispasticis, fuctu, ligaturis.
3. Contumacem coërcere fluxionem, deobstruentibus, lenientibus, consolidantibus, adstringentibus, stipticis, anodynis, opiatis, externe interne adhibitis.

§. 89. Diæta non minus requiritur exacta minimum: aëre utendum subfrigido, sicco; victu tenui, liquido, antiphlogistico; potu simili; quiete animi & corporis naturali, artificiali; alvo libera, laxa.

§. 90. Ab ulceribus præterea, cancerisque, & carcinomatibus, quibus forte, menstruorum hoc sufflammationis tempore §. 63, laborant foeminae, aliæ ipsis prædeunt hæmorrhagiæ: si per magna tum sanguinis illa molimina, & impetus validos §. 63, rumpuntur vasa cohærentia adhuc & integra, aut eroduntur ab acri §. 41, vel exesa jam aperiuntur.

§. 91. Sensibus partim innotescunt externis, aspectu nimirum, tactu, odoratu, partim ratiocinio ex phaenomenis præcedentibus, ulcerationis, scirrhi vel canceri, & præsentibus hæmorrhagiæ, collatis formato; aut abstrusioribus demum illis, probabili tantum conjectura. Lethales sæpissime sunt, nec cessant, donec anima cum sanguine effluerit; spes exigua tamen. extremaque salus pendent a Venæ sectione, diluentibus, cum opposito acri ad acre prædominans, & opio.

§. 92.

§. 92. Sed aliæ adhuc, rariores licet, largæ tamen, sanguinis fiunt eruptiones ex varicibus §. 79. in coxis, furis, uteri cervice, vel ad anum quoque, hæmorrhoidibus varicosis dictis, ruptis ex iisdem causis §. 90.

§. 93. In promptu satis posita est diagnosi, prognosis non minus, quæ haud aspernanda sæpe minatur pericula, nisi prudens subveniat medicatio; hæc absolvitur opportuno usu consolidantium, stipticorum, adstringentium, anodynorum, diæta §. 89 præscripta, & vinculis chirurgicis rite applicatis.

§. 94. Cæterum ad debiliora, sanguis §. 63, determinatus loca, memoratis, non solum foras, effunditur modis; accidit non nunquam, idem hoc fieri internè, in cavum aliquod corporis clausum, tumque causa existit subitanæ mortis, aut fomitem exhibet foecundissimum, multarum, graviorumque ægritudinum: Apoplexiæ, Lethargi, Paralytici, Empyematis, Hydropis, & sic porro. Quarum vel simplicem conditurus historiam, tractatus, quidni Dissertationis transcendere fines, hæc igitur hæctenus.

§. 95. Fibris autem & vasis rigiditate arctius adstrictis, sanguinis copia incrementis, effoetisque uteris retenti, dictæ quidem §. 64. seqq. minus bene succedunt machinationes, nec rubro ipsi, exitus datur locus; interim si vel in tantum cedant, ut serosæ partis fieri possit depletio, fluxio hæc sanguinæ substituitur, fiuntque ut menstruorum loco fluor albus §. 54; sic hæmorrhoidum §. 66. albæ hæmorrhoides; mictus cruenti §. 75, mictio alba, crassa, mucosa admodum; vomitus cruenti §. 78, vomitus feri viscidiusculi copiosus; hæmoptoes §. 83, asthma humidum, cum vel sine tussi; hæmorrhagiæ §. 86, phlegmatorrhagia.

§. 96. Eandem subinde feri evacuationem, in oblongo intestinorum, fieri experimur, tractu, juvantibus, minimis glandulis eorum spuris §. 66; liquidis tum copiose solvitur alvus, & Diarrhœæ nomen dant morbo, aut Dysenteriae, notabili dolore stipato ipsi, ex acrimonia quacunque humorum.

§. 97.

§. 97. Nec sola semper rigiditas §. 95, effectuum horum §. 95. 96. habenda est causa; plenitudo quippe serosa §. 50, multoties symbolam confert, unica interdum, vel potius nimium sæpe sufficit.

§. 98. In magna sæpe vitæ, corpus exhauriendo, prosterendo vires, enumerati §. 95. 96. si perennant morbi, miseras inducere solent, discrimina; in eundem ad minimum magis magisque disponunt morbum, & diuturnis portas pandunt affectionibus. Hinc expedite cogniti, mox sub initio, serio & prudenter sunt curandi; quod methodo fit exposita §. 58. n. 1. 2. 59. 60. & corroborantibus, narcoticisque, haud neglecta simul, quam §. 62 commendavimus, diæta.

§. 99. Simili ratione §. 95. 97, ulcera, cancri & carcinomata §. 90, copiosam eructant saniem, ichorem multum; immo cum in loco, ulceri obductæ olim cicatricis, debilior quandoque, concretorum integumentorum manserit fabrica, intensiusque humores canalium feriant latera, locus hic, pressus illos sustinere impos, refricatur, reviviscit ulcus, inveterascit, fit cacoëthes, & depascendo non nunquam serpens. Quæ indicasse, sufficiat

§. 100. De morbis, ex effusis in cavitatem quandam, & stagnantibus ibidem humoribus, idem ac de sanguine §. 94. sentiendum erit.

§. 101. Ultimo nunc itidem per causas §. 30, aut aliam quamcunque, eo adducta si fuerit res, ut laudati hactenus, sanguini vel sero luxurianti, commode minus pateant exitus, aliæ, quidem æque tristes & periculosæ, infelicibus parantur ægritudines; vasis enim angustius coercita liquida, arctius comprimuntur, compinguntur, hinc expulsis & expressis liquidioribus, tenuissimis, crassiora in majores coeunt moleculas, & laudabilis loco humoris, atrabilario illo, corpus repleti incipit, aut crasso, glutinoso, pituitoso inert.

§. 102. Turbatur ergo §. 101, in universum destruitur, superstes forte æquabilis circulatio; visceri, tenaces, in minoribus,

ribus, ubique fere, impacti meatibus, sistuntur, corrumpuntur, coagulantur, concrescunt, humores; maxime in partibus membranosis, nerveis, pressis magis, & glandulis; unde oriuntur congestiones, obstructions, infarctus, dolores leviores, graviores, pro diversa perpetientis partis conditione, & corruptionis gradu majori, minori.

§. 103. Fiunt autem sævi in capite dolores, hemicrania, clonus sic dictus histericus, melancholia, miræ & falsæ imaginationes, mania, vertigines, scotomiæ, lethargi, apoplexiæ, paralyse, epilepsiæ; in pectore, variæ præcordiorum angustia, asthmata, suffocationes; in abdomine, mala omnia hypochondriaco hysterica, obstructions, & indurationes scirrhorum, hepatis, lienis, pancreatis &c, calculi renum & vesicæ, dolores atroces cardialgici, iliaci, colici, nephritici, stranguriæ &c; In artubus Podagra, arthritis vera, vaga; in glandulis scirrhi, canceri occulti, manifesti; in superficie universa corporis, pruritus, qui ad genitalia in primis subsultant, scabies ferina, & aliæ cutis foeditates. Proveniunt quoque, scorbutus, ex eadem causa §. 101, & febres intermittentes, plures, diu excruciantes, præcipue quartana.

§. 104. Sed tanta horum §. 102. est copia morborum, ut non modo longum nimis, sed quasi impossibile foret, omnes enumerare, nedum singulorum evolvere nexum, affinitatem, signa, aut curam. Circa ultimam, paucis hæc tantum addo: in medicabilibus, omne facile, sanguinis detractionem, ferre punctum, si pugnetur simul laxantibus, diluentibus, lenientibus & resolventibus. Cave tamen, ne vim adhibeas cancro, vel scirrho, quæ mala hæc velis tollere, ipsa enim jam minus secuta est extirpatio, & per hanc ad alia ut plurimum deducuntur loca. Lenibus potius appositis blandiari ipsis; nec prohibebis sic, ad ultimam quo minus perveniant senectutem mulierculæ.

§. 105. Hæc pro scopo nostro sufficiant, ne temporibus Tuis, B. L, quæ melioribus consecrasti, nugis meis insidiari videar. Meliora fortassis, si Deo ita visum fuerit, o-

lim tradam. Scias interim optime mihi constare, allegato-
rum auctorum citatione, spissari volumina, ostentari crudi-
tionem, debitam cuilibet assignari laudem; primum anxie
vitavi, nec ventosæ plebis venor suffragia, maximis autem
in arte viris laudandis, omni ego auctoritate destitutus, mi-
nime sufficio.

F I N I S.

